



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XXXV. De pactis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

reverentiam temporis servanda pridem contrariâ consuetudine abrogata est) & vi Capituli secundi securitate perpetuâ, sive treugâ hac gaudent Clerici, & Religiosi omnes peregrini, Mercatores, Viatores & Rustici & in agriculturâ existentes, eorum animalia quoque, quibus atant, & semina portantur in agros &c. quantum autem hæc etiam constituto, observetur, docet experientia. Et quamvis

Princeps possit Civitates & populos sibi subiectos ad componendam pacem compellere juxta *Authent. de Mandatis Principum. §. deinde junctâ Gloss. V. pacē Novell. 17.* ob bonû commune non potest tamen privatis litigantibus inter se pacem præcipere, & urgere, ad concordiam, ne videatur jus suum auferre alicui, nisi causa sit valdè intricata, & lis diu jam cura magna partium molestia duraverit.

T I T U L U S X X X V .

D E P A C T I S .

§. I.

Quid sit pactum, & quomodo dividatur: qui pacisci possint? qua sit materia pactorum in genere, & qua forma?

Pactum propriè loquendo est consensus sive placitum duorum aut plurium in idem cum obligatione aliqua. Differet à contractu propriè dicto, quòd hic utriusque obligatione pariatur (regulariter) pactum autem ex parte unius tantum: præcipua pacti divisio est, in nudum pactum, & vestitum, sive legitimum, illud est, quod solâ æquitate naturali nititur, & nullam de jure Civili actionem (fori externi) parit, ad vitandam scilicet litium multitudinem; legitimum verò est sive vestitum, quod præter conventionem partium aliud aliquod juris adminiculum habet, ratione cujus actio civilis in foro externo de jure Civili oritur. Pluribus autem modis pactum vestitur, seu jure Ci-

Feeling. Compend.

vili confirmatur. Primò si transeat in contractum specificum seu nominatum, in genere suo perfectum, emptionem scilicet locationem commodatum &c. Secundò si ex altera parte fuerit secuta traditio rei, sive promissi impletio, prout nonnuquam fieri solet in contractibus incommunitatis, do ut des, do ut facias &c. saltem si alter ad implendum ex vi acceptæ rei promissæ obligatus sit in culpabili mora. Tertiò vestitur, si ei accedat stipulatio, jure Civili introducta, vel per publicum instrumentum Notarii confirmetur. Quarto vestitur, si accedat in continenti alii pacto vestito. Quintò vestitur, si legis habeat assistentiam. Sextò vestitur, si juramento confirmetur, & septimò denique vestitur, si fiat in judicio.

Pacisci autem, sive pactum inire possunt omnes qui nec nativâ nec jure prohibentur. Naturâ quidem prohibentur, qui ad obligationem inducendam consentire nequeunt, infantes v. g. furiosi, perpetuo amentes, muti & surdi conjunctim &c.

Bb

Lege

Lege autem prohibentur impuberes, ob imbecillitatem iudicii, nisi meliorem facere possint suam conditionem. Prodigii, quibus interdictum est bonis, minores 25. annis, qui Curatorem habent, &c. qui autem pacisci possunt, sibi tantum regulariter, non autem aliis pacisci possunt, & quidem de omnibus rebus honestis & licitis, quæ in commercio hominum sunt, modò sint paciscentium propriæ, ita ut formam accipiant pacta ex conventionem sive consensu paciscentium, modò, si contractui pactum aliquod adiciatur, non sit pactum tale contra substantiam Contractus.

§. II.

De observatione pactorum, & eorum confirmatione per Superiorem.

Quid pacta legitime inita observari debeant in c. 1. h. t. statuitur, & naturalis æquitas dicitur, ita ut per censuras etiam Ecclesiasticas urgeri possent ad pacti observationem paciscentes, & peccatum grave sit (cæteris paribus) pacta ab altera parte acceptata non servare. Et hinc inferunt Canonistæ communiter de jure Canonico, quidquid sit de jure Civili, actionem in foro externo etiam oriri ex pacto nudo, quia non tantum, quando jus mandat observari aliquid, sicuti mandat jus Canonicum observari pacta, datur ex inde in foro externo actio, sed etiam datur actio de jure Canonico, ad impediendum peccatum.

Confirmantur autem pacta sæpius per supervenientem postea consensum seu ratihabitationem Superioris, uti colligitur ex c. 2. h. t. nisi spectato jure naturali pro-

sus irritum sit, & nullum pactum tale, quo in casu subsequens ratihabitatione confirmare nihil potest, cum juxta Reg. Juris 18. in 6. non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit. Neque tamen ad omnia subditorum pacta & conventiones confirmandas superiorum consensus aut ratihabitione semper requiritur, ut patet ex c. 3. h. t. in 6. & per se constat.

§. III.

De diversis pactis illicitis, à jure Canonico reprobatis.

Primo quia pactis privatorum non potest præjudicari juri publico c. si diligenti 12. de foro competent. nullum est pactum, quod juri publico præsertim Ecclesie præjudicat. c. plerique 7. h. t. neque tamen prohibetur pactum, quo quis juri in favorem suum sibi principaliter concessio cedit, c. Pactum 1. h. t. in 6. c. si de terra. 6. & c. Accedentibus 19. de privileg. in 6. Secundo qui renuntiat liti super beneficio Ecclesiastico, adjecto pacto, ut aliquid temporale, etiam expensarum nomine sibi solvatur, illicitam, & simoniacam pactiorem faciat, quia spirituale aliquid pro pecunia vel alia re temporali pretio æstimabili remittit c. Cum pridem 4. h. t. junctà Gloss. V. illicita pactiæ speciem, nisi superioris auctoritas accedat, quæ parti litiganti expensasolvere jubet, quas frustra litigans fecerat, &c. arg. c. Nisi essent 21. de prebend. Tertio pactum alicui factum de succedendo post mortem Prælati aut Beneficiati in Prælatura Ecclesie illius, aut beneficio, nullum est c. Accepimus 5. h. t. cum talia pacta speciem habeant hæredita-

tarie successiois, quæ in beneficiis locum non habet; & inducat votum captandæ mortis alienæ, quod utroque jure prohibuitur est. Quartò nullum est pactum, quo promittit quis pensionem annuam, aut augmentum illius, si in Ecclesia vel beneficio instituat; *c. Cum Clerici 6 h. t.* Cùm Simonie vitium talis institutio referat. Et Quintò ob hoc ipsum Simonie periculum & speciem nullæ sunt omnes pactioes pro spiritualibus, aut quæ spiritualibus sunt annexæ, obtinendis, *c. Pactioes 8 h. t.* si pro illis dentur aut promittantur temporalia pretio æstimabilia. Sextò denique pacta universim, quæ contra leges, aut bonos mores fiunt, nullam vim habent; nisi interdum, quæ ob turpem causam pacta facta sunt, etsi non obligent, dum causa nondum impleta est, obligationem tamen inducunt, postquam causa turpis impleta est; neque enim talis datio v. g. propter causam turpem præstitam de se illicita est, uti communiter docent Theologi.

§. IV.

De pacto tum negativo de non succedendo, per quod renuntiat hereditati futura, tum affirmativo de succedendo alicui.

Duo sunt pacta, affirmativum unum, quo quis alteri promittit, scripturum se ipsum heredem in testamento suo, & negativum alterum, quo quis renuntiat hereditati paternæ, aut aliunde sibi deferendæ, de jure Civili nulla; illud quidem, quia votum captandæ mortis subinde infert, vitia cupiditatis summæ; hoc verò, quod hereditas nec dati, nec auf-

ferri possit privatis pactis ob bonum commune contrarium exigens. Vtrum autem hæc talia pacta de jure Canonico valeant, si juramento confirmantur, ita ut servari debeant non quidem ex vi sua, quam independentem à juramento habent, sed ex vi religionis dependentem à juramento inductæ, dubitatur. Et prius quidem pactum affirmativum scilicet de succedendo, nullum esse, quamvis juramento firmatum sit, facile concedunt AA. ita ut non obstante tali promissione juratâ illicitâ quidem (excipienda tamen sunt pacta gentilitia familiarum, præsertim si auctoritate Imperatoriâ firmata fuerint) in alium transferatur hereditas, validè tamen; & perjurus quidem sit in alium transferens hereditatem post juramentum de succedendo alteri factum, nulla tamen contra eum aut contra heredem institutum datur actio civilis: posterius verò pactum negativum de non succedendo, per quod v. g. filia jurat, se dote contentam de hereditate paternâ v. g. aut aliâ qualibet ex vi confanquinitatis deferendâ nihil ulterius petituram, validum esse accedente juramento, ac per hoc confirmati ac vim obligandi habere ex *c. Quamvis 2. h. t. in 6.* videtur probati. Si nulla vis, dolus aut metus injustus in extorquendo hoc juramento intervenierit, quamvis enim si tale quid intervenisset, juramentum tamen obligaret, cum sine dispendio æternæ salutis servari posset, quia tamen ab Episcopo facile illius impetrabitur dispensatio, & qui injustum talem metum v. g. ad extorquendum tale juramentum incussit, compelli etiam potest ad remittendum hoc juramentum, idèò efficaciter non

obligare censetur. Quòd si tamen renuntiatio paternæ v. g. hæreditatis cum juramento non facta fuisset absolute & simpliciter, sed in favorem v. g. fratrum consanguineorum, lateralium, &c. & horum nullus quando moritur pater, superesset, haberet suum regressum, non obstante tali renuntiatione, ad hæreditatem paternam, quæ taliter renuntiavit, cum renuntiationes tales explicandæ sint, ut quàm minimum præjudicent, aut lædant renuntiantes; & hinc non obstante tali renuntiatione, liberè Pater ei, quod vult legare potest, aut donare; & possunt etiam liberi ex filia, quæ renuntiavit hæreditati paternæ, vivente adhuc patre suo, mortuâ, avo huic suo materno jure proprio succedere, cui nunquam renuntiaverunt, quamvis non possint succedere avo huic suo, si vivente adhuc matre suâ mortuus ille fuisset, cum in hoc casu non alio jure quàm matris succederent, quod per renuntiationem à matre factam extinctum est. Quòd si tamen enormiter læsa fuisset per renuntiationem talem renuntians filia, eò quòd pro modica dote multò majori ultra dimidium hæreditati, præter opinionem suam, prout ex post facto colligit, renuntiaverit, posset petere relaxationem juramenti, & restitutionem in integrum, cum nec juramentum ad tantam læsionem obliget, neque intentionis illius fuisse, meritò cenferi debeat, tantam pativelle jacturam.

§. V.

De effectu pactorum.

Potissima quæstio est, utrum ex nudo pacto oriatur obligatio efficax, sive actio, id est, jus petendi in judicio, quod in pactum deductum est: quod enim ex tali nudo pacto in foro externo oriatur exceptio, quâ defendere se possit reus contra actoris petitionem, & alii quidam effectus, passim apud Theologos videri possunt: actionem verò sive jus petendi in judicio, quod in pactum deductum est, non concedere jus Civile, passim asseritur, ut ne nimium lites multiplicentur, cum magna Reipublicæ perturbatione. De jure verò Canonico, quòd ex pacto nudo acceptato oriatur actio efficax ad petendum in judicio, quod ex pacto debetur, probabilior sententia Theolog. & Canon. docet, & probatur ex c. 1. §. 3. h. 2. ad cavenda multa pericula animarum, & earum salutem promovendam, nisi in causis merè Civilibus per denuntiationem Canonica satis caveri possit, & nullo modo intendat ex justitia se obligare paciscens; sed tantum ex fidelitate, neque ullam causam exprimat suæ promissionis. Servanda tamen hac in re est consuetudo, quæ etiam ex nudo pacto in foro externo concedit actionem.